

Stephanus Galdeti

Pro quolibetis et infra

Editor: Florina Hariga

work in progress
16.07.2026

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **Pro quolibetis et infra**

Primum: dicendum, sicut ad nichil esse evidens nobis ex nostro lumine nec posse esse, sequitur exaltatio fidei et multa alia notanda. Ita ad omnia regi Dei liberrima voluntate multa notanda secuntur.

5 Secundum: quod non est insistendum humanis inquisitionibus et disciplinis de rerum existentis efficiens ac eventibus quibus placuit vanitati philosophorum insistere et causis secundis attribuire hoc omnia et secundum illas iudicare et hoc patet per AUGUSTINUM et allegat MAGISTER ut alibi.

10 Tertium: quod responsio vulgaris qua ad questionem qua queritur “Cur sic est?” et responditur “quia Deus vult” verissima est et potior omnibus. Et quod scire quod sic est respondendum non est facile.

15 Quartum: quod quamvis multe conditionales, puta de quantibus et numeris sciri possint, non tamen aliquae cathegorematicae affirmative de inesse, de rebus creatis sciri possunt, nisi scita super hiis Dei liberrima voluntate etc.

20 Quintum: quod huius voluntas liberrima quascumque causas secundas et earum || quaslibet combinationes et dispositiones liberrime determinat ad suos effectus et posset non sic determinare, et per consequens possunt illi non sic evenire, et in multis posset ad oppositos effectus determinare. Patet de igne in camino puerorum etc., et aliis dictis miraculis in quibus communes causarum cursus defecerunt.

25 Sextum: patet ulterius quod prima causa seu divina voluntas non solum dedit cuilibet cause secunde virtutem initialem ac specialem, sed ulterius dat agere ac concurrere, quinymo prevenit et subsequitur datam virtutem et eam determinat ad talem effectum certum et determinatum, ut alibi.

30 Septimum: ex quo secuntur quod nullius eventus futuri potest haberi evidens certitudo, quin scilicet possit oppositum evenire vel saltem ipsum non evenire. Patet, quia Dei voluntas circa hoc est liberrima et esto quod quot vis vicibus visum fuerit ab aliqua vel aliquibus causis seu dispositione ac copulatione eorum effectus aliquos provenire hoc cum contingentissime fuit et poterit alias sic non esse, propter libertatem divine determinationis.

35 Octavum: ex hiis ulterius patet quod nullarum actionum solitarum a secundis causis provocare est aliquod causa certum indicium, ut est

P2 135r

2–4 primum dicendum — secuntur] nota add. in marg. P1 2 dicendum] sup. lin. P1 5 et] disp add. sed del. P2 14 cathegorematicae] sup. lin. P1 20 posset] non add. sed del. P2 23–24 non solum] sup. lin. P1 29 evenire] sup. lin. P1

liberrimum Dei velle universa liberrime disponuntur, seu determinatio divinae voluntatis visa clare vel significata signis noluisse ad placitum etc.

Nonum: ex quo patet astrologiam aut quamvis aliam doctrinam de futuris eventibus indicativam incomparabiliter minus certam divina revelatione seu inspiratione quamvis oppositum visum fuerit vanitati philosophorum.

Decem: ex quo ulterius patet quod nulla demonstratio seu philosophica inquisitio de effectibus quibuscumque unde provenit vel de causis naturalibus quos vel quales effectus producant seu producent est aliquo modo evidentis sive certa. Hoc satis deducit AUTRICORT, et oppositum dicere esset divinae libertati contradicere. AUTRICURIA.

Sed tunc dicitur quod valde facile esset respondere ad omnia et de singulis reddere rationem vel rationes, nam dicitur semper sic est vel erit, quia Deus vult vel fuit etc.

Respondetur quod non est facile rationaliter et intelligibiliter sic dicere quamvis sit expediens et utile, nam difficile est venire ad hanc veritatem quod Dei velle liberrimum || sit omnium scibilium sufficiens et principale principium, etiam naturaliter a secundis causis productorum et omnis habitudinem illorum, et sic de singulis etc.

P2 135v

Considera qualiter divina et maxime quae ab Ecclesia in orationibus et horis canonicis recitatur universa divinae voluntati ac disponi attribuunt. In benedictione et psalmis reliquis considera etc.

|| Circa tertiam premissam conclusiones posunt adhuc alicui poni primo quod licet divina voluntas aliter se habeat ad A predestinatum et B prescitum, non tamen aliter se habet ad alterum istorum, puta ad A uno tempore quam alio, nam ad hoc sequeretur in Deo mutabilitas non ad primum etc.

P1 83v

Ex quo ulterius patet quod sicut eternaliter voluit B prescito dare penam eternam ita et nunc actu vult dum ille bene operatur et eternaliter sic volet, nec ab hoc actu volendi, nec quocumque alio divina voluntas quandoque cessat, sed nec cessabit, nec cessavit, nec cessare potest.

Sed dubium de scire cum aliquid vel aliquod signum vel significabile desit esse unum, sed potest dici quod eodem actu quo novit A fore cognovit esse et noscet fuisse, ymo eodem actu quo novit A potest nosce B suum contradictorium, de velle eodem modo vel forsitan aliter. Cogita.

Ex hiis ulterius patet quod non bene apparet quod aliquem actum habeat divina voluntas respectu presciti et eius iuste operationis quo

aliqua-
 5 vel volutio foret frustra, quia nunquam reduceretur ad actum. Item
 posset qualis et cuiusmodi voliti et quomodo esset huiusmodi actus.

Ex hiis ulterius patet nunquam fuisse nec esse iustum tali prescito
 10 dari vitam eternam, nec illum nunquam fuisse aut esse dignum vita
 eterna. Patet ex precedenti. Et ex alio patet, quia nec nunc dum sic
 bene agit est iustum seu dignum habere vitam eternam. Notum est,
 aliter iniuste ageretur cum eo nec finaliter erit iustum, nec nunc est
 iustum ipsum habiturum, quia nec habebit, nec est habiturus etc.

Ex quo ulterius patet quod quamvis divina || voluntas velit
 15 actum illum esse iustum et bene factum cum omnibus circumstantiis
 pertinentibus ad hoc ut ille actus bene fiat ac per hoc sit actus conformis
 prime regule. Et ut sit talis quali in predestinato vel in isto, si esset
 predestinatus, daretur vita eterna, notum vult divina voluntas de facto
 illum actum esse actualiter dignum vita eterna. Nec est in quocumque
 20 tali actu intrinseca dignitas ad premium, nec est huius actus dignus
 quamvis dignificabilis vita eterna. Ex quo patet ulterius quod huius
 actus non est proprie meritorius vite eterne, quia non de facto acceptatur
 ad vitam eternam.

P2 136r

Ex quo ulterius patet quod huius verba Scripture *iniquos odio habui,*
 25 *ego diligentes me diligo* debent intelligi quoad effectus temporaliter
 creature tributos non quoad actus intrinsecos divine voluntati. Vel debet
 intelligi iniquos et diligentes perseverantur etc., quod ulterius patet,
 nam in Ps. dicitur *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, antequam hic
 iniquis ille bonus.

Ex quo patet ulterius quod non aliter se habet divina voluntas
 30 propter aliter esse in viatore circa esse iustum vel iniustum. Patet satis.

Ex quo ulterius patet Deum nec peccatis offendi, nec penitentia
 plantari realiter prout hoc actus divine voluntatis inportant. Et sic
 exponenda est illa oratio: “Deus qui culpa offenderis etc.”, et item
 propter in quadam oratione alia dicitur divinam miserationem esse
 35 perpetuam, “custodi nos divine propitiatione perpetua”, et ideo nuli
 noviter culpam remittit. Item nec noviter exaudit preces. Hec in quadam
 responsione ordinaria plenius recitasti.

Et quod huius orationes fiunt et debent fieri supposita Dei eterna

prevolutione ad hoc et tunc non sunt, nisi quidam congratulationes et regraditudines de huius voluntate cum optione effectus etc., etc.

|| Dubium est cum in Dei voluntate iuxta premissa sit ymaginandus actus unus quo vult huius actus || sive fiant, sive non esse debitos atque iustos. Et hec est prima regula actuum humanorum omnium mortalium creaturarum actionum et lex eterna. Aliter vero est quo Deus vult aliqua fore et esse et fuisse pro certis mensuris quod est velle Dei efficax et causale et rerum omnium factibilium sufficiens productivum, de quo istorum optat homo cum dicit *fiat voluntas tua*.

P1 84r

P2 136v

Si de prima tunc scienter optat fieri multa que scit quod non fient, nam necesse est scandala venire. Si secundum, optat malos actus fieri. Potest dici quod vult vel optat bonos actus volitos efficaciter de Deo fieri.

Alique conclusiones

Nullius viatoris predestinati peccatum quamcumque grave est actualiter inputatum ad mortem.

Nullius presciti opus est actualiter absolute inputatum ad vitam.

Quodlibet peccatum tam presciti quam predestinati est inputabile actualiter ad mortem.

Quodlibet rectum opus tam presciti quam predestinati est acceptabile ad vitam.

Aliquod presciti peccatum inputatur ad mortem et non omne.

Aliquod predestinati peccatum inputatur ad penam temporalem non tamen eternam etc.

11 scandala] p. c. P1
18 inputabile] sup. lin. P1

17 inputatum] ad penam add. sed del. P1